

2^o Missam de præcepto audivit quidem, sed ex vanitate et curiositate; imo graviter peccavit pravis desideriis adhærendo.

3^o Peracta confessione, a Confessario jussus fuerat ut pro sacramentali pœnitentia duo Sacra audiret et rosarium recitaret. Ipse autem, per modum compendii satisfactorius, illa duo Sacra audivit simul, dum duo Sacerdotes una celebrarent, eodemque tempore rosarium recitavit.

HINC :

QUÆR. 1^o An PANTALEO jejuniis satisfecerit?

2^o An præceptum Missæ audiendæ adimpleverit?

3^o An rite pœnitentiam peregerit?

SOLUTIO :

99. — R. ad 1^m Quæst. PANTALEO, licet minime laudandus ratione motivi et modi, legi tamen satisfecit, cum eam minime transgressus fuerit. S. Lig. n. 163, etc.

R. ad 2^m Quæst. Satisfecit etiam, dummodo vere Missam audire voluerit, et nullum alium actum cum auditione insociabilem posuerit, licet peccaverit venialiter, saltem *per se*, ratione vanitatis et curiositatis, et graviter ratione pravorum desideriorum; peccatum enim etiam mortale non impedivit quin opus præceptum poneretur. S. Lig. *ibid.*

100. — R. ad 3^m Quæst. 1^o Non satisfecit, duo Sacra simul audiendo, quia evidenter egit contra intentionem Confessarii, qui sane unicum potius quam duo simul imponere malisset. 2^o Satisfecit autem rosarium tempore Sacri præcepti recitando, quia illæ duæ obligationes simul adimpleri possunt. S. Lig. *Hom. ap. de Pœnit. n. 57. contra Busemb. — V. Comp. n. 107.*

CASUS X.

OBLIGATIONIS ADIMPLETIO 2^o.

1^o LAURENTIA, in festo solemnibus *B. Virginis*, summo mane audivit Sacrum ex devotione erga *B. Virginem*, nolens per hoc satisfacere præcepto, sed intendens aliud audire; postea vero, mutata sententia, illud prætermittit. — Alias, cum coronam *B. Virginis* ex voto die sabbati recitare deberet, recitavit quidem ex intentione devotioni tantum satisfaciendi, aliam subinde ad implendam obligationem recitatura, quam tamen neglexit.

2^o VERONICA, eodem die, ad rosarium tum ex voto, tum ex pœnitentia sacramentali, obligata, unicum recitat, utrique obligationi satisfaciendi gratia. Postea vero dubitans an ad aliud rosarium vel etiam ad duo adhuc teneretur, scilicet pro duplici intentione, nihil tamen aliud recitavit.

HINC :

QUÆR. 1^o An LAURENTIA obligationi suæ in utroque casu satisfecerit necne?

2^o An VERONICA satisfecerit, unicum rosarium recitando, aut aliud vel etiam duplex recitare debeat?

SOLUTIO :

101. — R. ad 1^m Quæst. 1^o LAURENTIA satisfecit obligationi Missæ in primo casu. Ratio est, quia intentio satisfaciendi præcepto minime requiritur; satis est enim, ut opus præscriptum ponatur. Ita communiter. S. Lig. n. 163. — V. Comp. n. 103.

2^o Non autem satisfecit suæ obligationi in posteriori casu; quia hæc obligatio orta est a propria voluntate, et proinde ab ejus voluntate pendet ei satisfacere, vel non. Ergo, cum LAURENTIA expresse intenderit non satisfacere quando coronam recitavit, reapse non satisfecit.

102. — R. ad 2^m Quæst. VERONICA debito suo non satisfecit, unicum rosarium pro duplici obligatione recitando, ut patet. Etenim cum obligationes illæ ex fonte et motivo diverso contractæ fuerint, sunt omnino distinctæ, et proinde unico opere adimpleri nequeunt. Ergo aliud rosarium VERONICÆ recitandum superest. Non duo tamen alia recitare debet, quia ad duo tantum, non ad tria, fuerat obligata. V. Comp. n. 105. — Voit, n. 202. — Elbel, n. 397.

CASUS XI.

CAUSÆ LEGIS ADIMPLETIONEM IMPEDIENTES.

SIDONIUS causas varias, legis adimpletionem impediens, sive remotas sive proximas apponit, scilicet :

1^o Frequenter Sacrum de præcepto audire omittit, itinere, sive in terra sive in mari, negotiorum vel etiam sola recreationis causa suscepto, impeditus. Iter autem in curru publico incipit, die quocumque hebdomadæ, etiam ultimo aut pene ultimo, quamvis aliquando diem lunæ expectare possit.

2^o Interdum, die quo jejunandum est, ad venandum pergat, ita ut jejunii servandi omnino incapax evadat.

3^o Alias, nocte sabbati se inebriavit, experientia sciens se incapacem Missæ die Dominica audiendæ futurum esse.

HINC :

QUÆR. 1^o An, vel quomodo causas impediens legis adimpletionem apponere liceat?

2^o An, vel quomodo in prædictis casibus peccaverit SIDONIUS?

SOLUTIO :

103. — R. ad 1^m Quæst. 1^o Licet apponere semper causas eximentes quascumque, cum eæ dominio legis subtrahunt per discessum extra territorium.

2^o Non licet unquam apponere causas directe impediens legis observationem, in legis territorio remanendo, quia hoc esset ipsam legis violationem intendere. S. Lig. n. 156.

3^o Licet vero, saltem probabilius, apponere causas indirecte et remote

impedientes, et quidem sine ratione, ex præsumpta voluntate legislatoris, qui non censetur voluisse tantum onus imponere subditis.

4^o Non licet autem apponere causas proxime et indirecte impedientes, sine gravi ratione, quia lex proxime urgens proxime ligat voluntatem et urget ad media necessaria adhibenda, vel ad impedimenta removenda. *V. Comp. n. 110. — Lacroix. — Billuart.*

104. — *R. ad. 2^m Quæst.* 1^o SIDONIUS non peccavit contra præceptum audiendæ Missæ, si agebatur de præcepto particulari et exierit extra legis territorium antequam urgeret tempus obligationis, ut dictum est supra, in casu secundo. — Neque peccavit etiamsi actum sit de lege communi, saltem si, pluribus diebus antequam urgeret obligatio, iter, etiam sine gravi causa, susceperit. *V. Comp. n. 111.*

2^o Peccavit graviter SIDONIUS, se impotentem ad jejunandum reddens venationis defatigatione, quia sine justa causa obicem ad legis adimpletionem posuit. Ita communiter cum *S. Lig. n. 152 et l. 3, n. 1046*, contra plures.

3^o Peccavit graviter contra præceptum audiendæ Missæ, per voluntariam ebrietatem nocte præcedenti habitam, si advertit non solum ad periculum proximum ebrietatis, sed etiam ad periculum Missæ omittendæ propter impotentiam in causa voluntariam. Ratio est quia impedimentum proximum legis adimpletionem appositum. *V. Comp. n. 111.*

CASUS XII.

AN OBLIGET LEX VEL SENTENTIA FUNDATA IN FALSA PRÆSUMPTIONE? 1^o.

TYTIRUS, pastor ovium, dum caute in gregem invigilaret, inadvertenter consopitur et gravi somno corripitur. Extemplo in vicina prædia grex totus dilabitur. Haud mora ecce custos publicus repente apparet! Ab eo TYTIRUS iudicibus traductus, ad multam simul et ad damnorum reparationem juridica sententia cogitur. Pastor autem infelix iudicans iniquam esse hanc sententiam, partim ex bonis privatorum, partimque ex fisco se compensare non dubitat.

2^o Ejusdem asellus, nocte quadam, cum a fure e stabulo solutus et abductus fuisset, e manibus hujus evadens in alienos agros aufugit, eosque nonnihil damnificavit. Quapropter novam sententiam subire cogitur TYTIRUS, sed ideo et ipse etiam ad novam compensationem indignabundus recurrit.

3^o Alias, infelix homo a iudice damnatus ad solvendum debitum, cui jam satisfecerat, cum nullum modum haberet juridice probandi factam esse jam solutionem, maxime contristatus et afflicto, in occulta compensatione dolorem delinire ac sedare festinavit.

HINC :

QUÆR. 1^o An obtemperandum sit legi seu sententiæ iudicis, si in falsa præsumptione fundetur?

QUÆR. 2^o An TYTIRUS sententiam acceptare debuerit, vel e contrario se compensare potuerit in hoc triplici casu?

SOLUTIO :

105. — *R. ad. 1^m Quæst.* 1^o Nego, si sententia iudicis seu applicatio legis fundetur tantum in præsumptione facti particularis culpæ, fraudis, damnificationis, quia, veritate facti non subsistente, corrui eo ipso obligationis fundamentum.

2^o Affirmo vero, si fundetur in præsumptione periculi generalis culpæ, fraudum, etc...; quia bonum commune requirit ut omnes stabiliter obligentur, propter hallucinationis periculum, et quia iudex ad solum factum externum attendere potest. *S. Lig. n. 100 et 150. — Suarez, etc.*

106. — *R. ad. 2^m Quæst.* 1^o Injuste egit TYTIRUS, occulte se compensando in primo casu, quia juste damnatus est; factum enim damnificationis est verum, et insuper adfuit in pastore culpa saltem juridica, quæ ad justam sententiam sufficit: lex enim reddere intendit homines cautiores et vigilantiores, ut damna efficaciter impediatur; ergo TYTIRUS ad restitutionem tenetur.

2^o In aselli casu, falsa est omnimodo præsumptio, cum ipse pastor omni culpa etiam juridica careat. Non potuit enim puniri ob diligentiam defectum, siquidem nullatenus factum impedire potuit; ergo nullo modo, ne juridice quidem, ipsi est imputandum. Si igitur damnatus fuit, ob præsumptionem negligentiam, quam non admisit neque admittere potuit, erronea est et materialiter injusta iudicis sententia. Ergo, quod ad TYTIRUM, casus est meræ necessitatis (*cas de force majeure*), a quo omnino est absolvendus; ergo de injustitia non est damnandus, et jure compensatione usus est.

3^o In casu solutionis jam factæ, non potuit damnari ad denuo solvendum, causa enim sententiæ falsa est: ergo sententia innititur in fundamento omnino erroneo; ergo sententia hæc est materialiter injusta; ergo TYTIRUS de injustitia argui nequit, eo quod se compensaverit, si alio modo quod suum est nullatenus recuperare potuerit. *Voit, n. 195. — S. Lig. l. 1, n. 100; et l. 4, n. 521. — V. Comp. n. 102.*

CASUS XIII.

AN OBLIGET LEX VEL SENTENTIA FUNDATA IN FALSA PRÆSUMPTIONE? 2^o

1^o NAZARIUS, Sacerdos, absque facultate legit librum impium et hæreticum; at bono fine ducitur, scilicet ad eum confutandum. Insuper moraliter certus est nullum perversionis periculum ex hujusmodi lectione sibi imminere. Itaque non putat se peccare, quia, cessante pro eo fine legis lex ipsa etiam cessare debet.

2^o CLEOPHAS, facultate legendi libros prohibitos pariter carens, ratus quoque nullum animæ periculum ex alicujus libri prohibiti doctrina sibi

proventurum esse, ut certius prohibitionem declinet, ad industriam recurrit: non legit quidem, sed alium legentem arrectis auribus audit, nec putat legentis peccato cooperari, sive quia legens vir admodum prudens est, sive quia ille facultatem legendi habet.

HINC:

QUÆR. 1° *An revera lex cessaverit in primo casu, tum propter bonum finem, tum propter cessationem finis legis?*

2° *An CLEOPHAS in secundo casu censuram incurrerit, et graviter peccaverit, audiens tantum legentem, et non legens ipse?*

SOLUTIO:

107. — *R. ad 1^m Quærs.* Nego prorsus. Ratio est, quia finis legis adæquatus cessare non potest in particulari, cum ea respiciat quæ communiter contingunt, non vero casus particulares. Prohibitio enim est ut non solum damnum spirituale vitetur, sed etiam ne ansa detur hæreticis et aliis improbis scriptoribus perniciosas doctrinas evulgandi, et sic illi puniantur. Insuper finis legis est remove hallucinationis periculum, quod immineret, si cuique privato fas esset iudicandi nullum damnum sibi reformidandum esse. Ergo NAZARIUS graviter erravit existimando se in eo casu a lege exemptum esse. Unicus excipiendus est casus in quo necessitas aliqua, derepente orta, ad id faciendum urget, nec facile ad Pontificem recursus pateret. Tunc enim, cum periculum in mora esset, et bonum ipsum Fidei, cui lex providere intendit, ad lectionem impelleret, epikeiæ locus daretur. *V. Comp. n. 121; et t. 2, n. 982. — S. Lig. n. 199. — Ituriaga, t. 4. c. 39.*

108. — *R. ad 2^m Quærs.* 1° *Probabilius*, CLEOPHAS censuram non incurrit, quia in legentes, non in audientes lectionem fertur: porro in pœnis odia sunt restringenda, nec censura extendenda est unquam ad casum in lege non expressum. *S. Lig. de Censuris, n. 292. — Ituriaga, ibid. — V. dicenda de Censuris in fine operis.*

2° CLEOPHAS, audiendo legentem peccavit saltem contra legem naturalem, si periculo seductionis se exposuerit, quod hac in re facillimum est. Peccavit etiam contra legem Ecclesiæ, peccato cooperationis, si alium licentia carentem ad legendum induxerit. Quid vero si legens licentia polleat, et audiens nullum omnino periculum incurrat? *Controvertitur.* Non pauci et gravissimi theologi, inter quos eminent Suarez, dicunt audientem peccare graviter, quia lex prohibens lectionem implicite, etiam lectionis auditionem vetat. Alii ab omni peccato excusant, quia audiens reapse non legit, nec proinde violat legem quæ lectionem prohibet; neque verum est, aiunt, prohibitionem legendi involvere etiam prohibitionem audiendi legentem; lex enim non expressit audientes, quia legislator attendit tantum ad ea quæ frequenter fiunt; lectio vero libri prohibiti frequenter, ast auditio raro contingit. Ecclesia igitur satis bono publico providit lectionem prohibendo. Ita *Ituriaga, ibid.*

CASUS XIV.

DISPENSATIO LEGIS 1°.

NICONIUS, mercator, a POLIDORO Confessario requirit, utrum sibi liceat vesci carnibus in itineribus multoties repetitis, tum propter nimiam defatigationem et stomachi debilitatem, tum etiam propter provectam jam ætatem, sexaginta scilicet annorum. Negat licere Confessarius. — Velis igitur, quæso, licentiam hanc mihi impertire, reponit bonus senex. — Ad me non spectat in legibus Ecclesiæ dispensare, ait POLIDORUS, sed ad Episcopum tibi omnino recurrendum est. Mercator igitur ad Præsulem recurrit, et in libello supplici allegat provectam ætatem et infirmitatem, intelligendo per hanc stomachi debilitatem, aut nauseam aliorum ciborum, necnon defectum somni abstinentiam a carnibus non raro subsequentem. Quamobrem illico fuit dispensatus, et quidem in perpetuum. Sed paulo post, confortato stomacho, jam potest absque incommodo esurialibus cibis vesci. Hinc evadit anxius valde NICONIUS circa dispensationis validitatem.

HINC:

QUÆR. 1° *A quo, et qua de causa possit dispensari a legibus?*

2° *An NICONIUS dispensatione indiguerit, et quidem episcopali, vel papali?*

3° *An saltem valida esse pergat dispensatio, postquam valetudo firmior evaserit?*

4° *Quid, si Episcopus apposuisset clausulam, nempe de consilio utriusque medici spiritualis et corporalis?*

SOLUTIO:

109. — *R. ad 1^m Quærs.* Dispensatio pertinet ad solum Superiorem, siquidem potestatem jurisdictionis in foro externo requirit, sicut facultas leges condendi. Hinc legislator dispensare potest in legibus suis et in legibus prædecessorum et inferiorum; inferior vero dispensare nequit in legibus Superioris sui, nisi ex potestate delegata. Causa autem proportionate gravis ad dispensandum requiritur, et quidem ad validitatem in delegato, ad liceitatem vero in Superiore jurisdictione ordinaria gaudente. *V. Comp. n. 114, 117.*

110. — *R. ad 2^m Quærs.* NICONIUS dispensatione indiguit ad carnes diebus prohibitis edendas; difficultas enim legem servandi non videtur esse tanta, ut obligatio pro eo cesset. Non potuit vero a Confessario dispensari, quia nullus inferior dispensare potest in lege Superioris. 2° Quod si manifeste gravis infirmitas, vel aliud detrimentum grave secuturum sit, Confessarius declarare poterit mentem Ecclesiæ, ceu piæ matris, non esse ut pœnitens lege obstringatur. 3° Si infirmitas ex natura sua perpetua non sit, satis erit si NICONIUS a proprio Parocho dispensationem requirat; usus enim invaluit ut Parochi, in casibus istis, qui frequenter occurrunt, dispensare valeant, etiamsi recursus ad Episcopum esset facilis. *S. Lig. Hom. apost. tract. 2, n. 59. — Gousset, n. 197. — 4° Si NICONIUS dis-*

pensationem perpetuam obtinere voluerit, debuit ad Episcopum recurrere, vel ad summum Pontificem.

111. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Si NICONIUS non perfecte convaluit, licet multo facilius cibus esurialibus vesci queat, vel si ex eorum usu relapsum timeat, perdurat dispensatio, quia non cessavit totaliter causa finalis dispensationis, et revera casus ille supponi potest in viro grandævo, ut NICONIUS perhibetur. 2^o Imo, videtur etiam perdurare dispensatio, licet firmiter convaluerit senex; perdurat enim, aiunt graves theologi cum *S. Lig. n. 196*, si dispensatio fuerit concessa absolute, et non conditionate tantum, nempe, si causa duret: porro, in nostro casu, videtur absolute concessa, cum NICONIUS, inter alias causas, propectam ætatem attulerit. Dicit tamen *S. Lig. ibid.* non habendam esse ut absolutam dispensationem ab Officio divino, vel ab abstinence a carnibus, licet concessa fuerit pro infirmitate quæ perpetua consetur, si valetudo superveniat. Verum; sed hic cum agatur de homine grandævo, præsumi potest Pontificem modo absoluto dispensasse. Hoc sequitur ex regula quam tradit *S. Lig.* ad distinguendam absolutam dispensationem a conditionata; dicit enim: *Quando causa judicatur perpetua, tunc dispensatio data censetur absoluta, etsi postea per accidens causa cesset.*

112. — *R. ad 4^m Quæst.* Si Superior apposuerit clausulam hanc, *de consilio utriusque medici*, evanescit omnis difficultas; tunc enim evidenter dispensatio est conditionata; et cessante totaliter causa finali, cessat quoque dispensatio. Etenim neque medicus corporalis, neque medicus spiritualis dispensare potest, sed tantum statum infirmitatis declarare; sed supponitur infirmum valetudinem recuperasse: ergo, etc. *Elbel, n. 450.*

CASUS XV.

DISPENSATIO LEGIS 2^o.

RENALDUS, dum esset domo profecturus ad Missam die Dominica audiendam, ecce subitaneam experitur infirmitatem. An vero tanta sit ut a præcepto Ecclesiæ eximatur, non satis ei apertum est. Attamen se resolvit ad remanendum domi, ratus se in hujusmodi casu, instante magni incommodi periculo, lege non urgeri. Postea tamen magna anxietate laborat, ex eo quod non curaverit ut dispensatio a Parocho postularetur, cum id facile præstare potuisset.

Idem, ineunte quadragesimali tempore, cum infirmus foret et magnum incommodum ex jejuniis pertimesceret, dispensationem a lege Ecclesiæ pro tota Quadragesima postulavit et obtinuit. Sed ecce! Elapsis circiter diebus quindecim, ab infirmitate ex integro convaluit. Nihilominus dispensatione prius obtenta uti perrexit.

HINC:

QUÆR. 1^o An RENALDUS peccaverit abstinendo a Sacro audiendo in exposito casu? Et quid in genere, in dubio utrum quis indigeat dispensatione?

2^o An dispensationem petere debuerit, saltem cum id facile præstare posset?

QUÆR. 3^o An potuerit adhuc obtenta uti dispensatione, postquam sanitatem recuperaverit; vel quid, si causa finalis non totaliter cessaverit?

SOLUTIO:

113. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Generatim, in dubio an casus dispensatione indigeat, probabiliter non requiritur dispensatio in dubio positivo, seu quando, perpenso dubio, conscientia efformatur, nitendo gravi ratione in favorem exemptionis a lege. Secus in alio casu. Consultius tamen est adire Superiorem, etiam delegatum, si ad eum recursus pateat, ut dispense, vel declare legem non urgere; vel saltem viri prudentis et docti sententiam requirere. *V. Comp. n. 118. — S. Lig. n. 193; et t. 3, n. 325.* — 2^o RENALDUS non peccavit, si conscientiam efformaverit, gravi causa innixus: quia in tali dubio prævalet contra legem positivam Ecclesiæ jus naturale conservandi salutem; secus a peccato non est excusandus. At ipsi enixe commendandum est, si casus occurrat, ut a Parocho per nuntium dispensationem petat, vel saltem alium virum prudentem interroget.

114. — *R. ad 2^m Quæst.* Non debuit RENALDUS dispensationem necessario petere, licet id facile potuisset præstare, cum, ex dictis, probabiliter lege non urgeatur. Sed inducendus est ut ad Parochum alias recurrat, si possit. *S. Lig. l. 3, n. 325.*

R. ad 3^m Quæst. Si causa finalis non cessavit totaliter, perdurat dispensatio; secus non censetur perseverare. *Recole dicta in responsione ad casum XIV^m, n. 108 et seq.*

CASUS XVI.

DISPENSATIO LEGIS 3^o.

1^o GERBERTUS, Canonicus, ab Ordinario loci facultatem obtinuit ut in votis simplicibus, positis conditionibus debitibus, pro foro interno dispensaret. Ecce inter alios pœnitentes vir peregrinus occurrit, voti alicujus dispensationem seu commutationem requirens. Hæret anceps GERBERTUS, nesciens utrum huic petitioni acquiescere debeat. Acquiescit tandem, quia, ait, in dubiis favores sunt ampliandi.

2^o Idem, ex Episcopi delegatione, a lege abstinentiæ in usu carniū varios pœnitentes dispensavit. Sed ei occurrunt peregrini per notabilem anni partem ibidem permansuri, imo et alii transeuntes tantum; utitur autem hac accepta facultate erga omnes indiscriminatim, sive sint loci incolæ, sive sint peregrini. Imo illis omnibus facultatem tribuit, etiam in itinere et extra diœcesim, carnes edendi.

3^o Ipsemet iter agens cum socio, pœnitente suo ordinario, extra diœcesis confines, non dubitat ipsi esum carnis die sabbati permittere; imo sibimetipsi indulget, ut cum eo carnes edere possit.

HINC:

QUÆR. 1^o An GERBERTUS potuerit dispensare in votis cum peregrinis? An id Episcopus valeat.

2^o An potuerit concedere incolis loci, ut carnes extra diœcesim edere possent?

QUÆR. 3^o *An etiam dare potuerit licentiam peregrinis, ut carnibus reficerentur non solum ibidem, sed etiam in alio loco quocumque?*

4^o *Utrum socium in itinere, et seipsum dispensare potuerit?*

SOLUTIO :

115. — *R. ad 1^m Quærs.* Episcopus probabiliter dispensare potest cum peregrinis, etiam ad modicum tempus in diœcesi existentibus, quia, per accessum ad Superiorem localem, fiunt sufficienter subditi ratione privilegiorum. Ita multi contra alios non paucos. *V. Comp. n. 115, Quær. 3^o. — S. Lig. n. 158.* — 2^o Delegatus ab Episcopo eadem gaudet facultate, siquidem Episcopus quas habebat facultates ipsi commisit. Ergo valida censenda est dispensatio a GERBERTO concessa. Quoad axioma allegatum, minime ad solvendam difficultatem requiritur, cum aliunde seu ex principio probabilissimi solvatur. Cæterum dispensatio, utpote odiosa, est quidem strictæ interpretationis; potestas vero dispensandi, cum favorabilis sit, late accipitur. *S. Lig. n. 187.*

R. ad 2^m Quærs. Affirm. Facultas enim a GERBERTO concessa in foro interno est omnino *personalis*, ergo personæ adhæret, eamque peregrinantem subsequitur; ergo ad locum minime restringenda est.

R. ad 3^m Quærs. 1^o GERBERTUS dare potuit peregrinis, etiam ad breve tempus in loco commorantibus, facultatem ibidem carnes, die prohibita, justa de causa edendi; sunt enim sufficienter subditi, ut supra de votis dictum est. 2^o Imo prædictis peregrinis facultatem tribuere potuit ut in alio loco quocumque dispensatione uterentur, si ratio dispensationis erat duratura, ob eandem rationem, scilicet, quia tunc erant sufficienter subditi, et dispensatio erat *personalis*.

116. — *R. ad 4^m Quærs.* 1^o Non potuit dispensare socium, etsi pœnitentem suum ordinarium; acceptam enim facultatem exercere nequibat, nisi in foro interno; sed extra locum suum carebat approbatione ad confessiones audiendas, ut supponitur. Ergo socium dispensare non potuit. Secus vero, si approbatus sit, quia pœnitens fuisset sufficienter subditus. Si autem delegatus sit ad dispensandum etiam extra forum internum, extra diœcesim suum socium dispensare nequisset, cum jurisdictione personali seu ordinaria in illum careret. — 2^o Neque potuit seipsum dispensare, quia ille solus dicitur posse secum dispensare, qui est Superior, vel generalem habet facultatem dispensandi in legibus, v. g. delegatus ad dispensandum *in universitate causarum.* *V. S. Lig. n. 183.*

CASUS XVII.

DISPENSATIO PRIUS NEGATA, ET POSTEA AB EODEM SUPERIORE, REI IMMEMORE, CONCESSA.

LEOPOLDUS, voto perpetuæ castitatis ligatus, inhiat nuptiis cum SYLVIA ineundis. Igitur, dispensationem obtinendi gratia, scribit ad S. Pœnitentiariam, sub nomine ficto, *Titii*, v. g., ut mos est in rebus secretis. Pro causa autem allegat tentationes sat graves, quibus contra castitatem subjicitur;

sed infelix orator repulsam patitur. Minime tamen animo dejectus: Scio quid faciam, inquit..., rem iterum experiar. Transacto igitur mense uno aut altero, scribit denuo ad eandem Congregationem, pro eadem dispensatione postulanda, sed, mutato ficto nomine, v. g. sub nomine *Sempronii*, tacitaque repulsa prius sibi facta, causa tamen eadem allata. Successit ipsi sua industria; hac enim vice gratiam exoptatam consecutus est.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid sit dispensatio obreptitia vel subreptitia? et quando invalida sit?*

2^o *An dispensatio LEOPOLDI subreptitia sit et invalida?*

SOLUTIO :

117. — *R. ad 1^m Quærs.* Dispensatio dicitur *obreptitia*, quando in petitione falsa causa tanquam ratio principalis exprimitur, qua cognita non fuisset data dispensatio. *Subreptitia* vero, quando tacetur veritas alioquin necessario exprimenda de jure vel stylo curiæ, præsertim si id ex fraude et dolo contingat. Inde patet hujusmodi dispensationem invalidam esse. Quod si ratio falsa se habeat ut causam tantum impellentem, sine qua nihilominus data fuisset dispensatio, quamvis difficilior, vel si tacetur aliquid non pertinens *directe* et *intrinsece* ad materiam concessionis, neque de jure aut stylo curiæ exprimendum, adhuc valet dispensatio, quia tunc censetur Superior adhuc velle dispensare, dummodo causa principalis subsistat.

118. — *R. ad 2^m Quærs. Neg.* Etenim hujusmodi dispensatio minime est *subreptitia*, licet forte Superior eam negavisset, si denegationis prius factæ recordatus fuisset. Ratio est, quia præsumptio quod Superior negasset nullo jure fundatur. Nam, si concedat, allatis iisdem rationibus quæ prius allegatæ jam fuerant, inde arguitur dari causas sufficientes ad dispensandum. Nec obstat prior negatio; nihil enim ad causam refert, et negare dispensationem ob illam solam causam non videtur rationi consentaneum. Ratio perspicua est; nam, si justa causa subest, potius decet priorem rigorem temperare, quam illum firmare: ergo circumstantia negationis prius factæ impertinens est ad valorem dispensationis subsequentis. Ergo LEOPOLDUS non tenebatur eam in mentem Superioris revocare. Ergo dispensatio hæc non est *subreptitia*; ergo valida est. Nec obstat etiam quod LEOPOLDUS secunda vice nomen fictum mutaverit, quia nunquam ad nomen attenditur in dispensationibus S. Pœnitentiariæ, cum sit consuetudo ut semper nomen fictum adhibeatur. Parvi autem refert quod sit *Titius* vel *Sempronius*. Nec dicas LEOPOLDUM sic argui posse de mala voluntate Superiorem decipiendi. Ille enim non dicitur decipere, qui suo jure utitur. Ita *Suarez, de legibus, l. 6, cap. 22, cum aliis contra plures.*

CASUS XVIII.

DISPENSATIO AB UNO SUPERIORE NEGATA, ET POSTEA AB ALIO, NEGATIONIS IGNARO, CONCESSA.

1^o MAXENTIUS dispensationem voti non reservati ab Episcopo postulavit, nec obtinuit. Paulo post, cum obiisset Episcopus, eandem gratiam ab